

SOLUTIO :

105. — *R. ad 1^m Quæst.* Conscientia FLORINÆ erronea est. Falsum est enim Monialem posse, illæsa paupertate et obedientia, tam facile operibus misericordiæ vacare. An autem FLORINA versetur in ignorantia vincibili, aut invincibili, non potest sic in genere determinari. Hoc pendet a variis circumstantiis, utrum, nempe, rite de voto paupertatis fuerit edocta. Quare non interrogat Confessarium, si idoneus sit, vel alium, rerum religiosarum haud ignarum? Non videtur tantum amans caritatis et operum misericordiæ, sed etiam propriæ voluntatis, cum adeo gaudeat ex eo quod possit, ut putat, liberior agere independentem a voluntate Superiorum.

106. — *R. ad 2^m Quæst.* FLORINA lædit paupertatem in singulis præfatis casibus; etenim : 1^o lædit paupertatis votum, quando in pauperes vel in puellas educandas distribuit ea, quæ parcius vivendo sibi subtrahit, quia hæc ad ipsius usum quidem, sed non ad alium finem conceduntur; 2^o idem dicendum de iis quæ ex parcimonia in itinere facta habuit, ob eandem rationem; 3^o tandem, neque magis colligere potest ea quæ obtinet, munus suum cum magna diligentia obeundo, vel in superfluo tempore pro neptibus laborando; quia in his omnibus varios proprietatis actus procul dubio exercet. Hæc quidem generatim dicenda sunt; sed dari possunt exceptiones pro quibusdam Ordinibus, in quibus paupertatis votum non esset adeo *strictæ* interpretationis.

CASUS XIII.

DOMINIUM RELIGIOSORUM 1^o.

SIGISMUNDUS, votis simplicibus in Ordine religioso emissis, ex propriis redditibus, inscio Superiore, donaria notabilia in consanguineos, amicos, et in pauperes, cum conscientia dubia largiri non dubitavit. Testamentum quoque suum in fratris sui favorem, cum legatis in suam Communitatem absque Prælati facultate, condidit. Verum, re quondam Confessario aperta, tremebundus audivit se toties mortaliter peccasse contra paupertatis votum, et toties casum reservatum incurrisse; imo invalidas prorsus donationes fecisse. Quapropter obligatur *sub gravi* ad rem totam Superiori manifestandam, necnon ad donatarios de obligatione restitutionis monendos.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quale possit esse dominium Regularium vel Communitatum religiosarum?*
 2^o *An SIGISMUNDUS reapse in his graviter peccaverit, et casum reservatum incurrerit?*
 3^o *An donationes et testamentum invalide fecerit, et an donatarii ad restitutionem teneantur?*
 4^o *An Superior, post factum, ab ipso de omnibus monendus fuerit?*

SOLUTIO :

107. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Regulares solemniter professi nihil omnino

tanquam suum possidere valent, ut supra dictum est. Religiosi vero, votis simplicibus tantum ligati, capaces sunt proprietatis, ac proinde bona sua servare possunt et nova acquirere, dummodo nullam faciant dispositionem absque Superioris facultate.

2^o Communitates autem religiosæ *per se* non sunt incapaces domini, quia personam moralem constituunt, sicut in qualibet alia societate; nec præterea impediuntur paupertatis voto, quod solos Religiosos ut privatos afficit.

Dixi *per se*, quia sunt quidam Ordines qui, ex proprio instituto, nulla bona possidere valent, ut Ordo Capucinatorum, etc. — *Lugo, D. 3, n. 74.*

108. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia actum proprietatis in re gravi quoad singula admisit, licet nemini injustitiam intulerit, imo licet, in aliquibus, in Communitatis suæ favorem disposuerit. Votum enim paupertatis prohibet strictum usum, vel dispositionem etiam rerum suarum absque Superioris facultate; proinde dispositio quælibet de aliqua re tanquam sua, in materia gravi, peccatum mortale et reservatum inducit.

109. — *R. ad 3^m Quæst. Probabilius* SIGISMUNDUS valide de rebus disposuit, licet illicite; quia, cum dominium bonorum suorum adhuc servet, non agit invalide, actus domini exercendo: proinde tantum peccat contra fidelitatem Deo promissam, violando votum quo dispositio quælibet de bonis, etiam propriis, prohibetur. Ergo donatarii ad nullam restitutionem tenentur. — *Lugo, D. 3, n. 79.*

110. — *R. ad 4^m Quæst. Neg.* Etenim, post factum, non fuit necessario monendus Superior, neque ratione validitatis, neque ratione liceitatis. Non debuit quidem moneri ratione validitatis, siquidem donationes a SIGISMUNDO factæ fuerunt validæ, ut dictum est; neque ratione liceitatis, quia peccatum jam commissum est, nec proinde amplius impediri potest. Aliud esset, si res ad usum suum servasset, quia usus illicitus perseveraret, nec continuari posset nisi a Superiore approbaretur.

CASUS XIV.

DOMINIUM RELIGIOSORUM 2^o.

ELIGIUS, Professionem solemnem in Ordine religioso facturus, mortua matre, vivente autem adhuc patre, POLYDORUM, fratrem suum, aliis fratribus prætermittis, hæredem suum omnium bonorum, tam paternorum quam maternorum, instituit. Sed, Professione vix emissa, ecce infaustam notitiam mortis tum genitoris, tum etiam POLYDORI fratris, accipit. Paulo post MATHURINUS, ejus patruus, etiam e vivis excedens, ipsi pinguem reliquit hæreditatem. Quid tunc consilii capesset ELIGIUS? Patruus hæreditatem colligens, eam suo Monasterio addixit. Bona autem quæ fratri POLYDORO legaverat, PAULINO, alteri fratri, novo testamento donavit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An ELIGIUS disponere potuerit de bonis paternis vivente patre, ante Professionem?*

QUÆR. 2^o An, emissa Professione, hæreditatem potuerit accipere, et suæ Communitati tribuere?

3^o An, mortuo fratre POLYDORO, bona ipsi legata recuperare potuerit, ut ea alteri fratri daret?

SOLUTIO :

111. — R. ad 1^m Quæs. Neg. Saltem disponere non potuit de bonis futuris in favorem alicujus personæ sæcularis, seu fratris sui POLYDORI, ut fecit. Ratio est, quia ex lege sive civili, sive canonica prohibetur quælibet dispositio hæreditatis non apertæ, in favorem tertiæ personæ determinatæ. Finis autem legis est, ne donatarius forte moveatur animo cupiditatis ad mortem possessori bonorum inferendam. De jure naturali, seclusa lege positiva, valida foret talis renuntiatio vel dispositio; quia, licet novitius non adhuc habeat bona quæ ex hæreditate paterna sibi adventura sunt, jus tamen certum habet ad ea olim possidenda, si patri sit superstes; ergo potuit huic juri seu spei renuntiare in favorem tertii. Sed, posita lege humana, hæc dispositio prorsus invalida est.

112. — Dixi, saltem in favorem alicujus personæ sæcularis, quia, juxta plures, probabiliter valet præfata dispositio in favorem Communitatis religiosæ, quia finis legis est tantum impedire periculum machinationis; porro, ubi agitur de Monasterio, nullum est machinationis periculum: nam Religiosi, qui nihil possidere possunt, moveri nequeunt ad mortem alicui inferendam, ut bona ejus accipiant. Idem dicunt, si dispositio fieret in favorem alicujus Religiosi determinati, quia tunc ipsi Monasterio fieret, et periculum machinandi cessaret. Layman, l. 3, tr. 5, c. 7. — Lugo, de Justitia, D. 3, n. 98. — Billuart, de Contr. diss. 2, art. 3. — Busembaum, implicite approbatum a S. Lig. de Contr. n. 934.

113. — R. ad 2^m Quæs. Affirm. Ratio est, quia ex Jure canonico bona et hæreditates, quæ obveniunt Religioso professo, eo ipso, Monasterio obveniunt, per Religiosum, nisi constitutiones speciales obstant. Hoc sequitur ex principio Juris canonici: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit*. Ergo ELIGIUS non tantum potuit, sed etiam debuit hæreditatem a patruo acceptam in Monasterium transferre, nisi Monasterium juri suo renuntiet, et aliam dispositionem permittat. Ratio autem convenientiæ est, quia decet ut bona quæ Religioso obveniunt, potius cedant Monasterio, a quo alimenta accipere debet, quam aliis, quibus nihil debet et a quibus nihil accipit.

114. — R. ad 3^m Quæs. Neg. omnino. Ratio est, quia professus nullam dispositionem facere potest, siquidem per Professionem factus est incapax cujuslibet dominii. Invalidum igitur est ELIGIUS testamentum in favorem fratris PAULINI conditum. Etenim bona prius POLYDORO ante Professionem concessa erant, tum ex hæreditate matris mortuæ, tum patris adhuc viventis. Porro dispositio bonorum a matre defuncta provenientium, fuit valida: ergo illa bona ab ELIGIO amplius recuperari non potuerunt; sed POLYDORO mortuo, ad ejus hæredes transire debuerunt, quia illa donatio, facta Professione, irrevocabilis evasit. Dispositio autem bonorum patris fuit invalida, ex dictis supra, et nunc ELIGIUS, voto so-

lemni paupertatis ligatus, non est capax amplius dispositionis faciendæ: proinde bona ista ad ipsum ELIGIUM, seu ad ejus Monasterium redire debent.

CASUS XV.

DOMINIUM RELIGIOSORUM 3^o.

SOPHRONIUS, Professionem religiosam in Gallia emissurus: 1^o dubitat utrum dispositio bonorum, quam facturus est antequam vota solemnia emittat, irrevocabiliter firmanda sit, quia testamentum ab ipso condendum, ex natura sua atque ex lege civili, essentialiter revocabile est, cum ipse non agnoscatur coram lege patria ut Religiosus. 2^o Emissa Professione, dubitat an hæreditatem vel legatum sibi delatum acceptare queat, cum ex lege sit adhuc dominii capax. 3^o Nescit an actum publicum facere possit, juxta dispositionem aliquam, ante votorum emissionem factam. 4^o Cum oblitus fuerit de re aliqua statuere ante Professionem, postulat utrum, stante eadem lege, adhuc de illa disponere valeat?

HINC :

QUÆR. 1^o An, vel quomodo valeat dispositio bonorum quoad Religiosum in Gallia?

2^o An, facta Professione, aliquam dispositionem facere possit, vel syngrapham conscribere, vel nomen apponere, juxta dispositionem jam antea determinatam?

3^o Quid faciendum, si oblitus fuerit facere aliquam dispositionem de aliqua bonorum parte?

SOLUTIO :

115. — R. ad 1^m Quæs. Dispositio legis civilis est quid omnino indifferens ad obligationes religiosas. Parvi igitur refert si agnoscat statum religiosum, vel non. Lex canonica obligat independentem a lege civili: etenim, si hujus dispositiones legi canonicæ obstant, irritantur in foro conscientiæ. Proinde tum Religiosus, tum Communitas religiosa jura sua servant. Ergo eadem urgent obligationes, et eadem habentur facultates sub lege civili gallica, quæ de jure communi vigent. Nihil est addendum, nihil detrahendum. Ergo Religiosus in Gallia, sicut alibi, dispositionem irrevocabilem bonorum suorum facere debet. Nec obstat quod haberi possit coram lege civili velut proprietarius, vel homo jure proprietatis gaudens. Hoc neque ei nocet, neque favet. Igitur ad actum proprietatis faciendum cogi nequit.

116. — R. ad 2^m Quæs. Facta Professione, bene potest Religiosus facere actus civiles externos, conformes dispositionibus statutis coram Deo in foro conscientiæ ante Professionem, ut subscribere, actum privatum efficere, etc. Tunc enim formam mere externam apponit, non vero denuo disponit, adeoque nullum proprietatis actum facit.

R. ad 3^m Quæs. Nihil agendum, quia professus non amplius de bonis illis disponere potest. Obvenient igitur Monasterio, si nihil aliud obstat,

vel recurrendum erit ad dispensationem pontificiam, ut alia quælibet dispositio fiat. Solus enim Papa in effectibus voti solemnissimi dispensare potest.

CASUS XVI.

VOTUM CASTITATIS.

GASPAR, Confessarius Monialium, facile poenitentes de lethali peccato contra castitatem arguit v. g. ratione curiositatis, levitatis aut modestiæ defectus. Etenim, ait, ea peccata quæ respectu aliorum levia sunt respectu eorum qui voto castitatis obstringuntur, facillime gravia evadunt. Hinc pluries Novitiæ, hujusmodi doctrina perterritæ, monasterio valedicunt, cum animam suam æternæ damnationis periculo in claustro exponere nolint.

Cæterum, idem GASPAR docet votum castitatis solis peccatis externis violari posse, sicut alia vota religiosa, paupertatis, scilicet, et obedientiæ, quia hoc voto Religiosus corpus suum tantum, ut hostiam Deo placentem, donat et dicat. Quare, ait, peccatis internis, v. g. delectatione morosa, sola virtus castitatis læditur, non vero votum.

HINC :

QUÆR. 1^o An GASPAR recte docuerit, minorem requiri materiam ad peccatum mortale in Religiosa, quam in aliis?

2^o An recte senserit votum castitatis minime violari posse peccatis internis, sed solam castitatis virtutem?

3^o An objectum voti et virtutis aliquatenus differant quoad castitatem?

SOLUTIO :

117. — R. ad 1^m Quærs. Male docuit GASPAR et graviter erravit statuendo, requiri minorem materiam in Religiosa quam in alio ad peccatum mortale contra castitatem. Quomodo hujusmodi doctrinam probat? Est mera assertio, omni prorsus fundamento destituta. Peccata Religiosorum *per se* non sunt graviora, neque facilius ad materiam gravem perveniunt, nisi aliquando, *per accidens*, scandalum grave sæcularibus præbeant. Sed Religiosus peccatum duplex committit, contra virtutem, scilicet, et contra Religionem. Si prius sit veniale aut mortale, ita etiam, eadem ratione, de secundo dicendum erit. Proinde nemo unquam damnari ad gehennam potest ob solam violationem voti castitatis, quia nemo graviter peccare potest contra votum, quin prius graviter contra virtutem peccet; peccans autem graviter contra virtutem, eo ipso reatum æternæ damnationis incurrit. Hinc patet quam irrationabiliter agant sæculares voto castitatis ligati, qui voti dispensationem requirunt, metu damnationis, quin matrimonium inire velint; siquidem, obtenta dispensatione, non minori periculo obijciuntur.

118. — R. ad 2^m Quærs. Neque recte sensit GASPAR, docendo votum castitatis solis peccatis externis violari. Hoc enim pugnat contra communem sententiam Theologorum absolute tenendam cum S. Lig. n. 37. Etenim Religiosus, vi voti *castitatis*, tenetur abstinere ab omni voluntaria

delectatione venerea, sive externa, sive etiam interna, quia votum emittit ob amorem, seu affectum specialem virtutis, quæ omnem castitatis læsionem excludit. Secus vero dicendum de voto *paupertatis et obedientiæ*, quorum materia est solum objectum externum, nisi actum internum afficiat, ut sunt desideria, vel mœror de voto emisso.

119. — R. ad 3^m Quærs. Nullum datur discrimen ratione objecti, quia votum tam late patet quam ipsa virtus. Attamen in aliquo casu peccari posset contra votum et non contra virtutem: v. g. si quis, voto castitatis ligatus, matrimonium contraheret, peccaret quidem contra votum, non vero contra virtutem. V. P. Gautrelet, *Traité de l'état religieux*, tom. I, 2^e partie, c. 2, sect. 2.

CASUS XVII.

VOTUM OBEDIENTIÆ 1^o.

DIONYSIUS, Monialium Confessarius, poenitentes suas tanquam violati obedientiæ voti reas arguit, quoties cujusvis regulæ transgressionem accusant, quia, ait, votum obedientiæ præstatum juxta Ordinis constitutiones; et insuper Superiores observationem regularum semper præcipiunt. Præterea docet, facile dari materiam gravem contra obedientiam ratione contemptus. Hoc autem ex verbis D. Pauli probat, scilicet ex Rom. 13, 2, ubi dicitur: *Qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit; qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt.*

HINC :

QUÆR. 1^o Quænam sit materia voti obedientiæ?

2^o Quænam gravis habenda sit?

3^o Quid de doctrina DIONYSII dicendum?

SOLUTIO :

120. — R. ad 1^m Quærs. Materia voti obedientiæ est quidquid præcipitur a Superiore, secundum regulas et constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite: S. Lig. n. 38. Attamen, ut sit peccatum contra votum, requiritur ut Superior vere præcipere intendat, non vero tantum suadeat, quod ex ejus verbis aut modo loquendi, aut ex variis circumstantiis pendet. Religiosus autem non tenetur obedire, vi voti sui, Superiori præcipienti rem moraliter impossibilem, neque certo illicitam, neque graviter sibi damnosam; quia materia voti extendi nequit ad id quod est impossibile, aut iniquum, aut corpori vel animæ nocivum: obligatio enim voti debet esse de re possibili, et honesta.

121. — R. ad 2^m Quærs. Generatim loquendo, votum obedientiæ sub levi tantum obligat, quia ejus violatio in materia ordinaria gravem deordinationem non inducit. In triplici tamen casu materia gravis censetur, scilicet: 1^o quando Superior præcipit *in virtute sanctæ Obedientiæ*, vel *in nomine Christi*, etc.; 2^o quando inferior Superiori præcipienti dicit: *Nolo facere*; 3^o quando ex inobedientia sequitur grave damnum pro Communitate, vel pro aliis. V. Comp. n. 171.

122. — *R. ad 3^m Quæ.* Errat graviter DIONYSIUS in interpretatione obligationis voti obedientiæ; obligatio enim stricta voti non est confundenda cum obligatione improprie dicta regulæ, quæ *per se* sub peccato non præcipit. Non datur violatio voti, nisi intervenerit præceptum verum Superioris. Neque satis est ad rationem obedientiæ proprie dictæ, ut Superior commendat enixe quidem regulæ observationem; tunc enim non intendit novam obligationem imponere, sed urgere tantum id quod de regula servandum est. Errat quoque graviter DIONYSIUS docens, facile dari materiam gravem contra obedientiam; id enim adversatur sententiæ Theologorum communissimæ. Falsum enim est dari contemptum formalem auctoritatis, licet sæpe adesse possit contemptus materialis, seu rei ut levis reputatæ. Perperam quoque applicat verba D. Pauli: *Qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit*, etc. Dicitur enim tantum quis resistere, quando Superiori imperanti respondet: *se nolle parere*; quod quidem grave est, ut supra dictum fuit; vel quando auctoritatem, ut talem, contemnit; sed rarissime id in praxi occurrit.

CASUS XVIII.

VOTUM OBEDIENTIÆ 2^o.

ANASTASIA, Monialium Superiorissa, ad obedientiam strictius urgentem, declarat se præcipere sub peccato, ut omnes et singulæ regulæ adimpleantur. Imo non raro declarat se intendere obligationem sub gravi urgere, atque, ad verba confirmanda, sæpe sequentibus utitur formulis, scilicet: *Præcipio in virtute sanctæ Obedientiæ...., in nomine Christi Jesu*, etc. Quapropter subditæ, barathrum gehennæ semper præ oculis habent. Huic autem in officio succedit Mater CLEMENTINA, quæ in via prorsus opposita incedens, mellifluis verbis semper sorores alloquitur, et suadere potius quam præcipere semper videtur.

HINC:

QUER. 1^o *Quid de ratione agendi utriusque Superiorissæ?*

2^o *Quid faciendum sit in dubio de liceitate præcepti Superioris? An tunc licitus sit probabilismi usus?*

SOLUTIO:

123. — *R. ad 1^m Quæ.* Neutra Superiorissa in ratione agendi laudanda est. Sed quam maxime prior damnanda et vituperanda; non agit enim juxta spiritum mansuetudinis Christi Domini, cujus *jugum suave est, et onus leve*. Etenim ANASTASIA jugum Domini, ex se suave, efficit asperum, et onus aggravat, atque auctoritate sibi commissa, non quidem in *ædificationem*, sed in *destructionem* utitur. Superior jus non habet generatim imponendi sub peccato id quod ex Instituto sub peccato non jubetur. Id tantum facere potest, data speciali ratione, in casibus quibusdam particularibus. Neque potest Superior præcipere *sub gravi* in re quæ de se levis est; neque valet frequenter uti in praxi his solemnioribus formulis: *Ex parte sanctæ Obedientiæ.... In nomine Christi*, etc. Secus enim laqueum animabus injicit, et auctoritatem suam labefactat, nedum corroboret.

Quod vero ad Matrem CLEMENTINAM attinet, nimium discedere videtur a praxi Superioris præcedentis. Tanta enim differentia in regimine damnatum spirituale in Communitate affert, et difficultates innumeras pro se quantibus Superiorissis inducit. Auctoritas sane debet esse paterna vel materna, sed strenua, non vero ignava et mollis.

124. — *R. ad 2^m Quæ.* In dubio, semper pro Superiore standum est. Ipsi enim favet præsumptio, et sic præterea hoc requirit rectus ordo, et bonum commune Religionis; secus enim facile subditi dubia de opportunitate vel liceitate præcepti movere possent, cum magno auctoritatis detrimento. Quapropter, hac in re, practice loquendo, probabilismi usus prohibendus est; quia, ex dictis, negamus *suppositum*, scilicet, probabilitatem adesse contra talia Superiorum jussa.

CASUS XIX.

OBLIGATIO OFFICII DIVINI.

Ratione Religionis 1^o.

KILIANUS, Theologus, tenet atque docet, neque Religiosos neque Moniales ad recitationem Breviarii in rigore obligari sub gravi, ratione Professionis religiosæ, sed tantum ex præcepto Instituti, sicut ad cæteras regulas, quæ in plerisque Ordinibus sub peccato non urgent. Etenim ait, si obligatio vi religionis existeret, omnes Religiosi *sub gravi* ad Officium tenerentur, licet in Sacris non forent constituti. Porro non desunt Ordines Horis recitandis minime addicti. Quare ab omni culpa eximendi sunt non solum Novitii, Conversi, sed etiam Professi, qui choro non interveniunt. Sic KILIANUS.

ARISTUS, alter Theologus, contendit contra, omnes Religiosos ex Instituto suo choro addictos sub gravi ad recitationem Breviarii obligari, sive publice cum aliis, sive privatim, licet ad id ratione ordinis non adstringantur.

HINC:

QUER. 1^o *An sit gravis obligatio Officii pro Religioso sive in choro, sive extra chorum?*

2^o *An gravis sit obligatio choro assistendi?*

3^o *An obligationi Officii divini satisfaciat Religiosus qui submissa voce recitat partem Officii, et audit alteram a choro prolatam?*

SOLUTIO:

125. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Nulla datur obligatio generatim Officium divinum recitandi, vi ipsius Professionis religiosæ, quum varii sint religiosi Ordines quorum Professi nullatenus ad Horas obligantur. 2^o In Ordinibus autem ad chorum destinatis, datur obligatio sub gravi recitandi Officium divinum statim a facta Professione; ita ut impediti a choro privatim Horis satisfacere debeant, sive Clerici, sive laici, sive viri, sive feminae, exceptis tamen Conversis, qui ad officia domestica admittuntur. *S. Lig. l. 4, n. 141.*

126. — *R. ad 2^m Quæ. Neg.* Obligatio enim chori, licet gravis sit pro Communitate, levis reputatur pro singulis privatis, modo tamen chorus de medio non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt quatuor expediti, seu validi et liberi, ad cantum sustinendum. Ab obligatione vero levi choro interveniendi, causa mediocris excusare potest. *S. Lig. n. 141.*

127. — *R. ad 3^m Quæ. Controvertitur.* Prima sententia dicit, talem Religiosum non satisfacere obligationi suæ, quia non communicat cum aliis canentibus, vel alta voce recitantibus. Secunda vero sententia *valde probabilis*, et *communior* juxta *S. Lig.*, affirmat. Ratio est, quia, ad satisfaciendum Officio in choro, non est necesse ut quisque audiat omnes voces alterius partis; unaquæque enim pars cum alia unum corpus constituit, et mutuo communicat. Secus tamen dicendum est de Canonicis, Officium in choro submisce recitantibus. Ratio discriminis est, quia distributiones debentur solum iis qui choro inserviunt; ministerium autem chori in eo consistit, ut Canonici conveniant ad Officium psallendum. Ergo qui non psallunt non possunt dici choro inservire. *S. Lig. l. 3, n. 673; et l. 4, n. 163.*

CASUS XX.

OBLIGATIO DIVINI OFFICII.

Ratione Religionis 2^o.

DELPHINUS, Monialium Confessarius in Gallia, facillime a peccato gravi excusat Religiosas non solum choro non assistentes, sed etiam alias Officium privatim omittentes, licet ad Ordinem choro addictum pertineant. Etenim, ait, cum in Gallia, aspectis præsentibus circumstantiis, Moniales vota solemnia non emittant, non urgendæ sunt obligatione Officii, quæ ex solemnibus Professione tantum oritur. *A fortiori*, ab obligatione gravi liberat Moniales quæ Officium Beatæ Virginis tantum recitant.

HINC :

QUÆR. 1^o *An Moniales in Gallia ad Officium divinum teneantur?*

2^o *An Moniales quæ Officium B. Virginis tantum recitant, ad illud sub gravi adstringantur?*

SOLUTIO :

128. — *R. ad 1^m Quæ. Neg.*, probabilius *per se*, generatim loquendo, seu ratione legis ecclesiasticæ, nisi forte constitutionibus proprii Ordinis ad id adstringantur. Ratio est, quia, aspectis præsentium rerum adjunctis, non habentur ut Moniales proprie dictæ. Ecclesia autem non censetur velle tantam obligationem imponere iis mulieribus, quas ut strictissime Religiosas non agnoscit. Constat enim ex resp. *S. Penit.* ad Episcopum Petrocorensem, die 26 Nov. 1852. Sed in praxi expedit ut cum iis hac de re quæstio non moveatur, licet Superiores et Confessarii, hac doctrina cognita facilius cum privatis dispensare, vel scrupulos circa recitationem sedare possint. — *V. Comp. n. 182.*

129. — *R. ad 2^m Quæ. Affirm.* si sint Moniales *strictè* tales, ut Reli-

giosæ a Visitatione, quæ extra Galliam et in Sabaudia sunt Religiosæ *strictissime* dictæ, quia Officium illud, loco majoris Officii Romani, ipsis substitutum est. Insuper sunt ad chorum destinatæ, et materia est in se gravis. Sunt tamen Moniales quæ Officium illud B. M. Virginis recitant absque alia obligatione quam regulæ, v. g. Religiosæ dictæ a *Domina nostra (de Notre-Dame)*, quæ non sunt proprie ad chorum destinatæ.

CASUS XXI.

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 1^o.

CLARA, abhorrens a statu cælibatus, hæret primum inter matrimonium et Religionem. Hanc eligit, et ingreditur Congregationem in qua simplicia vota, sed perpetua emittuntur. Elapsis autem pluribus annis, urgente infirma valetudine, aliave gravi causa, Episcopo approbante et super tria vota consueta Religionis dispensante, e conventu dimittitur. Redux ad sæculum, CLARA statim ad nuptias sibi oblatas convolat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An Episcopus dispensare possit a votis simplicibus in Religione emissis?*

2^o *An possit solvere vinculum Religionis cum omnibus Monialibus in Gallia, in præsentium rerum statu?*

3^o *An possit solvere a voto simplici castitatis, quoties a voto paupertatis et obedientiæ dispensare valet?*

4^o *Quid specialiter in casu?*

SOLUTIO :

130. — *R. ad 1^m Quæ.* Distinguendum est. Episcopus non potest *per se*, seu absque delegatione generali, vel speciali, dispensare in votis religiosis, licet simplicibus, si Ordo sit ab ipso independens, seu si approbatus sit ab ipso Summo Pontifice. Sunt enim Ordines in quibus vota tantum simplicia emittuntur, et tamen ab Episcopo independentia, ut sunt v. g. Religiosi vulgo nuncupati : *Fratres a Doctrina christiana*. Secus vero, si Ordo sive Congregatio ab Episcopo solo pendeat, ut patet.

131. — *R. ad 2^m Quæ. Affirm.* Ratio est, quia Moniales, ut existunt nunc in Gallia, non emittunt vota solemnia, nec agnoscuntur ut Religiosæ *strictissime* dictæ, et eo ipso subjiciuntur Episcopo, qui tanquam delegatus apostolicus cum iis dispensare potest. Constat ex responsis S. Sedis, præsertim ex responsione *S. Penit.* ad *Illustriss. D. Bowvier*, Episcopum Cenomanensem, die 2^a Jan. 1836. — *V. Comp. n. 180.*

132. — *R. ad 3^m Quæ.* Res non adeo perspicua est. Ratio negandi esse potest : 1^o quia votum perpetuæ castitatis est Papæ reservatum, et remanere potest, vinculo Religionis dissoluto; 2^o quia de facto communiter Episcopi pro eo solvendo ad S. Sedem recurrunt; 3^o quia sequi videtur ex responsione *S. Penit.* ad *DD. Bowvier*. Etenim, cum postulasset a S. Congreg. utrum Episcopi in Gallia possint dispensare Moniales a voto